THEOLOGI CVIUSDAM

EPISTOLA,

AD QVENDAM MAGNATEM, ſcire cupientem, quomodo poſſet diſtribuere bona ſua temporalia, ad pios vſus, cum vtilitate quàm maxima animæ ſuæ: Et, cui Ordini regulari, vnum è nepotibus ſuis, vitæ religioſæ deſiderio captum, deberet addicere.

Theologus duplex
alius gloriæ,
alius crucis.
Schola crucis.
Schola lucis.

Permiſſu Superiorum.

Anno partus Virginei

CIↃ. IↃC. XXIV.

ILLVSTRISSIME DOMINE,

PEtis à me, tibi vt sincerè explicem, quam in rem possis conuertere, temporalia bona tua, cum maxima vtilitate animæ tuæ, & quali ordini, debeas nepotem tuum offerre, ad statum religiosum aspirantem, tuoque iudicio, quoad certi Ordinis delectum, stare volentem. Quoniam verò conscientiam meam obstringis, vt sine vllo affectu, & humano respectu, candidè tibi significem, quid te in vtroque negotio facere oporteat, libenter hunc laborem suscepi: vt & ego ipse, eorum bonorum particeps fiam, quorum tu eris, si mea consilia admiseris. Vt autem mihi faciliùs fidem adhibeas, & vt ego loquar liberiùs, nullam rem in particulari tibi suadebo, sed generalia tantùm tradam monita, desumpta ex certa SS. Patrum & Theologorum doctrina: quæ si diligenter perpenderis, & inuocato S. Spiritus auxilio ac lumine, præcipua opera pia, & Regularium Ordinum viuendi normam examinaueris, facilè diuino beneficio agnosces, quod à me cupis discere.

INPRIMIS autem pondera verba illa Isaiæ Prophetæ cap. 43. ℣. 7. *Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.* Ex quo sequitur, te debere

bona tua, in illa pia opera distribuere, nepotemque tuum talibus Religiosis adscribere, ex quibus redundet quam maxima gloria Dei, & consequẽter, quam maxima vtilitas animæ tuæ, & nepotis: in hac quidem vita per magna apud Deum merita, in altera verò, per altissimos gloriæ gradus. Si enim homines excelso & nobili animo præditi, in aulis Principum, & in Republica, ardenter exoptant, & viis omnibus quærunt, gradus & officia altissima, & regio throno proxima, & simul diuitias ac facultates hominumque fauores quam maximos; multò æquius est, quemuis Christianum hominem, creatum ad possessionem Regni cælestis, & optare, & quærere, per res suas, hîc quam maximã Dei gratiam, & gloriam in Regno cælesti amplissimam. Sicut enim stultus esset is, qui cùm posset centum millibus florenorum, emere regnum opulentissimum, is tantùm emeret vnum exiguum pagum, vel oppidum, cum paucis redditibus, & commodis; ita multò magis stultus est is, qui cum posset summâ aliquâ pecuniâ, vel bonis stabilibus, in pios vsus erogatis, aut cognato suo Dei obsequiis applicato, conciliare sibi apud Deum maximos gratiæ & gloriæ æternæ gradus, contentus esset earundem rerum applicatione, exiguos valdè, & meritorũ, & gloriæ cælestis, gradus, attingere. Nam si inter bona temporalia omnes prudentes præferunt maiora minoribus; an non stultum est, inter spiritualia, & æterna, & nunquam finem habitura bona, quæ præparauit Deus diligentibus se, satiari bonis exiguis, & ampliora vberioraque sese vltrò offerentia,

tia, negligere? Hoc tanquam fundamento iacto, cùm certum sit ex sacris literis, & SS. Patribus, eũ sibi accumulare maiores gradus gratiæ, & gloriæ in cælo, qui in hac vita causa est maioris gloriæ Diuinæ; ideò si vis Illustrissime Domine, quam optimè consulere animæ tuæ, & tui nepotis; ita siue mobilia, siue immobilia, siue vtraque bona tua dispensa, & nepotem tuum dirige, vt ex hac dispensatione tua, & ingressu in Religionem nepotis tui, quam maxima in Deum gloria deriuetur. Vt autem cognoscas sine errore, quibus in rebus sita sit, ista Dei quàm maxima gloria, quam propagare per tuas facultates, & nepotem tuum, vis & debes, hæc diligenter considera.

PRIMO. Hoc esse Dei gloriæ veluti fundamentum, ne diuina Maiestas peccatis hominum offendatur, quia vt inquit S. Ambrosius in Psalmum primum. *Initium bonorum, abstinentia peccatorum est: quoniam legimus* (Psalmo 36.) *Declina à malo, & fac bonum.* Vnde sequitur, illum magis glorificare Deum, sibiq; magnos meritorum, & gloriæ gradus conciliare, qui ad ea opera, & personas, res suas deriuat, à quibus maiora, & plura præterita extirpantur & purgantur peccata, ac futura impediuntur.

SECVNDO. Considerandum tibi est, Ill^me Domine, alteram veluti partem diuinæ gloriæ esse, *facere bonum,* vt ait Regius Propheta, seu, viuere bene. Vnde sequitur, te tunc valdè glorificaturum Deum, & tuæ animæ consulturum, si tua bona, & nepotem tuum direxeris ad tales personas, & talia pia opera, ex quibus in Ecclesia

Dei oritur maior frequentia, & excellentia, tum piorum operum, tum hominum meliorum. Ad quod conducit multitudo & mediorum, & modorum, ac efficacitas eorum, ad talem pietatem personarum & operum, in Ecclesia Dei excitandam, propagandam, & dilatandam. Sicut enim ille maximè Deum offendit, qui causa est, vt plures personæ peccent, & plura ac maiora peccata contra fidem Catholicam, & contra bonos mores fiant, & vt plura, ac efficaciora media, & modi adhibeantur, ad hos malos effectus in mundo propagandos: ita è contrario, ille maximè glorificat Deum, & animam suam spiritualiter ditat, qui causa est contrariorum effectuum bonorũ, siue per dispensationem suarum temporalium facultatum, siue alio modo.

Tertio. Considera Ill^me Domine, inter opera pia, & personas Religiosas, à quibus glorificatur Deus, per illas glorificari magis, in quibus magis resplendet Dei dilectio, & proximi propter Deũ. Quia vt docet S. Thomas 2. 2. q. 184. a. 1. *Omnis perfectio Christianæ vitæ, specialiter secundum charitatem attendenda est.* Nam vt ait Apostolus: *Charitas est maior fide & spe.* 1. ad Cor. 13. versu vltimo, imò omnibus aliis virtutibus, vt omnes Theologi docent cum S. Thoma 2. 2. q. 23. a. 6. Ideoque ab Apostolo meritò appellatur charitas *vinculum perfectionis* ad Colos. 3. ℣. 14. quia scilicet, vt ait S. Thomas loco primò citato *Omnes alias virtutes quodam modo ligat in vnitatem perfectam.* & is, qui proximum diligit, dicitur omnem legem implere. Galat. 5. vers.

vers. 14. Vnde sequitur, per opera virtutis religionis, vti sunt Psalmodiæ, non ita glorificari Deum, & animam ditari, atque ditatur per opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum: quia virtute religionis, ex qua deuotionis opera promanant, longè perfectior est virtus charitatis, vt expresse docet S. Thomas 2. 2. q. 81. a. 5. & loco paulò ante citato. Hinc secundo sequitur, per opera pœnitentiæ, vti sunt ieiunia, & his similia, cæteris paribus, minus glorificari Deum, quàm per opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum, siquidem vt S. Thomas ait 2. 2. q. 81. a. 6. Virtus religionis, quæ virtute charitatis minus perfecta est, præferri debet omnibus alijs virtutibus moralibus, ac proinde etiam virtuti Pænitentiæ. Et ita meritò Durandus in 4. dist. 15. q. 6. cum Gabriele in 4. dist. 16. q. 4. a. 3. dub. 3. & Vasquez in opusc. mor. tract. de eleem. dub. 2. docent, *Eleemosynam cæteris paribus, esse ieiunio, & similibus carnis macerationibus pœnalibus, magis meritoriam, & Deum melius placare, & præparare ad reconciliationem, atque amicitiam initam cum Deo conseruare, & augere, ita vt in dies sit illi Deus propitius.* Quin etiam S. Thomas in 4. dist. 15. a. 2. q. 2. Medina C. de eleemosyna quæst. 2. Paludanus in 4. dist. 15. q. 3. a. 1. concl. 2. asserunt, Eleemosynam plus esse satisfactoriam pro peccatis, quam ieiunium, & orationem. Immò quod mirabilius est, S. Thomas 2. 2. q. 124. a. 3. ad 3. ait. *Actum ex charitate docendi & gubernandi subditos esse perfectiorem, quam actum Martyrij, consideratum secundum*

propriam speciem actus. Vnde sequitur tertiò Illustrissime Domine, te ad tales personas, & opera, debere tuas facultates, & nepotem conuertere, quæ magis versentur circa dilectionem Dei & proximi, quàm circa Psalmodias, & corporis macerationes: quia præter supra dicta, bene ait S. Gregor. Papa lib. 6. c. 2. in lib. Regum. *Longè altioris est meriti, propriam voluntatem alienæ semper voluntati submittere, quàm magnis ieiunijs corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare.* Quod etiam S. Thomas ait in opuscul. contra impugnantes Religion. cap. 1. Et ita meritò S. Theresia Virgo diuino Spiritu plenissima, etsi Ordinem suum, magnis voluerit esse asperitatibus deditum, scribit tamen cap. 40. vitæ suæ, *se intellexisse à Domino, obedientiam suam, ob quam vetante Confessario abstinere cœperat à carnis maceratione, & pænitentijs, magis sibi gratam fuisse, quam asperitatem pænitentiæ, & vitæ cuiusdam sanctæ fœminæ Catharinæ de Cardona, quam ipsa Teresia imitari volebat.* Et Christus Dominus dans monita bene viuendi S. Brigittæ, vti habetur cap 13. Reuel. extrauag. *Ieiunare*, inquit, *in pane & aqua, sanis est bonum, sed non est summum bonum. Summum bonum Charitas, sine qua non est salus: sine ieiunio verò panis & aquæ, omnis saluari potest, si adsit perfectio fidei, & discretionis, & iusta causa &c.* Hinc Illustrissime Domine agnosces, ad quæ pia opera excitanda, vel conseruanda, vel propaganda, debeas tua bona conuertere, si, vt dicitur, bonum tibi velis lectulum sternere in æternitate, cuius tibi ratio magis habenda est, quàm omnium respectuum, & rationum humanarum. Nam si parcè seminaueris, parcè & metes, vt monet Apostolus.

QVARTO. Considera & hoc Illustrissime Domine, si inueneris plures hominum piorum Ordines vel Congregationes, quæ tibi viderentur bonæ, & perfectæ, debere te potius ijs bona tua cum nepote tuo offerre, qui sequuntur perfectius viuendi Institutum, & in eo modum viuendi perfectionem. Nam perfectius Institutum, cum modo viuendi perfectiore, Deo perfectionis amatori, est gratius, ac proinde quod pro illo fit, cæteris paribus, est magis Deo gratum, & tuæ animæ vtilius. Sicut enim donum filio Regis datum, gratius est Regi, quàm si detur famulo, quia filius Regi est magis gratus, quàm famulus; ita quod rei, vel personæ Deo magis gratæ præstatur beneficium, est Deo magis gratum, ac proinde magis meritorium, animæque vtilius, & in hac, & in altera vita. Porrò vt agnoscas, quod vitæ Institutum, & quis in eo viuendi modus sit perfectior, has regulas accipe, excerptas potissimum ex recepta ab omnibus, S. Thomę Doctoris Angelici, doctrina.

PRIMO. Docet S. Thomas 2.2. q. 188. a. 6. *illam Religionem alteri præferri, quæ ordinatur ad finem absolutè potiorem; vel quia est maius bonum; vel quia ad plura bona ordinatur. Si vero sit finis idem, secundariò attenditur præeminentia religionis, non secundum quantitatem Exercitij, sed secundum proportionem eius ad finem inten-*

 tum.

tum. Vnde & in Collationibus Patrum introducitur sententia B. Antonij (Collat. 2. cap. 3.) *qui discretionem, per quam aliquis omnia moderatur, prætulit & ieiunijs, & vigiliis, & omnibus huiusmodi obseruantijs.* Et infra. *Sicut maius est illuminare, quàm lucere solùm, ita maius est contemplata alijs tradere, quàm solùm contemplari. Ergo summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum, sicut & in alijs rebus fines primorum coniunguntur principijs secundorũ, vt S. Dionysius dicit 7. cap. de diuin. nomin. Secundum autem gradum tenent illæ Religiones, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertium est earum, quæ occupantur circa exteriores actiones. In singulis autem horum graduum potest attendi præeminentia, secundum quod vna Religio ordinatur ad altiorem actum in eodem genere: sicut inter opera actiuæ vitæ, potius est redimere captiuos, quàm recipere hospites. Et in operibus vitæ contemplatiuæ, potior est oratio, quam lectio. Potest ergo attendi præeminentia, si vna earum ad plura horum ordinetur, quàm alia; vel si conuenientiora statuta habeat, ad finem propositum consequendum.* Hæc omnia S. Thomas. Iuxta quam doctrinam, Illustrissime Domine, circumspice religiosos Ordines, eumq; tuis & bonis, & nepote orna, quem præ cæteris videris proximè accedere ad Episcopalem statum docēdo & prædicando, & alias Ecclesiasticas functiones obeundo, pro dilatanda diuina gloria, & S. Ecclesię incremento: & duo adhuc circa hoc punctum

punctum pondera. Primò. Potiorem & perfectiorem esse statum in Episcopis, quàm in Religiosis, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 184. a. 7. Ideò vocatur status Episcoporum, status perfectorum, Religiosorum verò status, non vocatur status perfectorum, sed tendentium ad perfectionem: quocirca Religio, quæ Episcoporum statui propinquior est, perfectior est. Secundò. Pondera, illum Ordinem, qui accedit proximè ad statum Episcoporum, accedere etiam proximè ad illum viuendi modum, quem Christus Dominus, & eius Apostoli sectati sunt: qui procul dubio fuit omnium perfectissimus, & in quo clarè expressus est finis salutis animarum quam plurimarum, ob quem Deus creauit omnia, & factus est homo; & in carne assumpta tam multa fecit, & passus est; & ob quem instituit Angelorum ministeria; & ob quem in S. Ecclesia Christus tam multa pro salute animarum supernaturalia media reliquit; vti sunt Sacramenta, Indulgentię, Ordines Ecclesiastici, & eorum variæ functiones, per conciones, Confessiones, lectiones &c. & totus Ordo Ecclesiasticæ hierarchiæ. Ideoque ob hanc summam vitæ Christi, & Apostolicæ perfectionem, Apostolus nos excitat 1. Cor. 11. ℣. 1. *imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Cum enim Christus sit æterna sapientia Patris, & fons ac exemplar omnis perfectionis, & sanctitatis, procul dubio talem pro se viuendi normam elegit, & Apostolis reliquit, quæ omnium esset in hac vita perfectissima. Perfectio autem vitæ Christi, & Apostolorum agnosci potest;

test; tum ex fine omnium operum eius, qui erat gloriam Dei dilatare, abstrahendo homines ab infidelitate & falsa fide ad rectam fidem, & à vita impia ad piam, & ita salutem eorum procurare; tum ex mediis, quibus vsus est cum Apostolis ad salutem humanam procurandam, & fructum meritorum suorum ijs communicandum, scilicet per prædicationes, disputationes cum Pharisæis, per sacramenta, &c. tum ex modo benigno & suaui, quo cum hominibus egit; tum ex ratione viuendi, quam in persona sua tenuit, communem in victu, & vestitu cum honestis hominibus, vt ponderat S. Thomas 3. p. q. 40. a. 2. vbi quærit. *Vtrum Christus austeram vitam in hoc mundo ducere debuerit*, & Respondet. *Conuenientissimum fuisse, vt se Christus in conuersatione hominibus conformaret, secundum illud Apostoli 1. ad Cor. 9. Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifaciam. Ideoque congruum fuisse, vt Christus in cibo potuq́, communiter se sicut alij, haberet*; Idque probat verbis Christi Matth. 11. *Venit Ioannes non manducans neq́, bibens, venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini*: ex quo loco colligunt alij quoque SS. Patres, consultò Christum instituisse vitam minus seueram, ac rigidam, quàm Ioannem, *vt facilius omnes lucrifaceret*: quemadmodum ait S. Chrysostomus hom. 38. in Matth. qui hom. 1. in epist. ad Roman. ponderans supremam perfectionem & dignitatem muneris & vocationis Apostolicæ, *Apostoli*, inquit, *munus res est bonis infinitis exundans, gratijs omnibus maius, ac dona cuncta amplectens. Quid enim amplius dixerimus, quã id, quod Christus hoc ipsum Apostolis commiserit, quod nobiscum dum viueret, ipse fecit, ac sic demum à nobis abijsset. Id quod Paulus exclamans, Apostolorumq́, dignitatem extollens ait*: (2. Cor. 5 20.) *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, hoc est, Christi vice.* Hæc Chrysost. Illam ergo religionem perfectissimam ne dubita, quæ est vitæ & muneri Apostolico simillima.

SECVNDO. Illa Religio est perfectior aliis, quæ, cæteris paribus, habet media efficaciora ad consecutionem eius finis, propter quem est instituta.

TERTIO. Illa Religio est perfectior, quæ, cæteris paribus, non tantùm efficaciora media habet, ad suum finem perfectissimum; sed etiam plura talia, & magis ordinata. Sicut ille exercitus, cæteris paribus, est melior, qui non tantùm melioribus, sed etiam pluribus, & militibus, & armis, ac machinis instructus est, & meliore ordine bellico dirigitur.

QVARTO. Illa perfectior est Religio, quæ cæteris paribus, habet auxilia plura & meliora ad consequendum finem suum, & mediorum suorum vsum in suo Ordine præscripta.

QVINTO. Illa Religio perfectior est, quæ, cæteris paribus, pluribus & melioribus est fulta præsidiis, ad summouenda omnia impedimenta, fælici vsui mediorum, ad sui finis consecutionem, sese opponentia.

SEXTO. Illum Ordinem, Illustrissime Domine pu-

ne, puta perfectiorem qui, cæteris paribus, maiorem fructum in Ecclesia Dei facit, verbis, scriptis, factis, exemplis &c. Nam veritas æterna, hæc signa tradit bonæ arboris cognoscendæ. *ex fructibus eius.* Vnde sequitur, illã esse meliorẽ, quæ plures & meliores, & per plures vias ac modos, & pro pluribus locis ac personis, fructus edit, & per ipsos fructus tales à se editos, alios fructus nouos & nouos in alijs multiplicat, cum perpetua dilatatione Diuinæ gloriæ, & Christi meritorum extensione, & destructione regni Satanæ. Quæ omnia sunt certissima signa, summæ perfectionis, quæ sita est non in verbis & gestibus, sed in factis heroicis: quia vt ait S. Gregorius Papa hom. 30. in Euang. *Probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Ideò S. Thomas 1. 2. q. 20, a. 5. docet, *Opus illud magis meritorium, ac perfectius esse, ex quo sequuntur plures effectus boni præcogniti, vel præcogitati; vel saltem etsi non præcogitati, si tale opus sit, ex quo per se sequuntur boni effectus, & vt in pluribus.* Sicut enim plus donat ille, qui arborem fructiferam donat, quàm qui sola poma: ita & status; & persona, cæteris paribus, melior est, Deoque magis grata, quæ non tantùm fructum fert bonum, sed facit res fructiferas quàm plurimas, ex quibus fructus innumeri perpetua successione. & multiplicatione nascantur. Ideò Spiritus Sanctus maiorem in cœlis gloriam præparatam esse docet ijs, qui non tantùm in se sunt excellentes, sed qui alijs prosunt, & alios alijs quoque vtiles faciunt. Dan. 12. ℣. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui*

ad

ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Indicans, sicut stellarum lux est maior, luce cælestis corporis; ita gloriam fore maiorem eorum, qui alios faciunt eruditos, tanquam arbores fructiferas.

SEPTIMO. Illa Religio est melior, quæ, cæteris paribus, habet & offert plures occasiones heroicas virtutum, & laborum pro Dei gloria, siue in iuuandis animabus per varios modos, siue in tolerandis persecutionibus, & aduersitatibus ob studia pietatis. Ideò meritò S. Ioannes Climacus scribit gradu quarto: *Noli citius accurrere, neq; eleueris facilè, cùm enarrari audis solitariorum Patrum vitas, tu enim protomartyris militia incedis.* Hoc est, vt commentator S. Climacum explicans *loquitur* num. 18. *Vocatus es, vt in Societate Confratrum, non solitarius in eremo viuas, vtq; lapideris importunitate tentationum, & contumelijs verborum.* Hæc enim, quæ famam & honorem lædunt, grauiora sunt viris honestis, & ingenuis, ipsa mortis acerbitate, quam multi mallent subire, quàm famæ & honoris pati iacturam. Quæ causa est, vt grauissimi quique Theologi & Iuris periti expresse doceant, quibusdam in casibus, sine vllo peccato posse occidi alterum, ob defensionem honoris proprij, & ad euadendam aliquam contumeliam grauem, seu honoris iacturã. Ideoque & S. Propheta Elias 3. reg. 19. ℣. 4. Optabat potius mortem, quam molestias persecutionis, quàm patiebatur à Iesabel. Et S. Paulus ob labores vitæ Apostolicæ, animarum causa susceptos, dicebat Rom. 7. ℣. 24.

Infalix

Infælix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Et 2. Cor. 1. ℣. 8. *Non volumus ignorare vos fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.* Vnde mirum non est, quosdam multa passos pro Dei gloria, etiamsi morte naturali extincti sunt, inter Martyres computatos. Sic Ecclesia S. Marcellum Papam pro Martyre colit 16. Ianuar. & S. Fœlicem 14. Ianuar. & S. Higinum Papam. 11. Ianuar. & S. Teresia Virgo, vidit animam Patris Martini Guttierez è Societate IESV, cum aureola Martyrij cœlos petentem, etsi à nemine occisum, quia multa à Gallis Hæreticis passus est. Et S. Lurgardis Virgo Ordinis Cisterciensis, ad æqualem gloriam cum S. Catharina Virgine & Martyre, electa fuit, etsi sine ferro, & sanguine obierit, teste Thoma Cantipratano apud Surium 16. Iunij. Eandemq; ob causam S. Damascenus in vita S. Barlaam, & Iosaphat. scriptum reliquit: *Religiosos animo ac voluntate Martyres effectos, eâ gloriâ, quam Martyres obtinent, minimè carere.* Quod certè magis locum habet in ijs, qui iuxta signum bonorum, à S. Bernardo traditum, plura quàm alij bona faciunt, & plura quam alij mala patiuntur, & minores fauores, & laudes, & applausus humanos reportant.

OCTAVO. Illas Religiones pluris facias, in quibus maius est Orationis studium, quàm Psalmodiæ, quia vt ait gr. 4. S. Ioannes Climacus, religiosæ vitæ sectator & Magister clarissimus.

Qui in fratrum medio consistit, non tam ex Psalmorum modulatione, quàm ex Oratione lucrari poterit. Nam sæpe ex alterius vocibus, & modulationibus, ne virtutem intellectumq; Psalmi consequi possimus, impedimur. Proinde S. Thomas 2. 2. q. 91. a. 2. ad 3. ait, *Nobiliorem esse modum prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam, & prædicationem, quàm per cantum.* Et subdit. *Ideò Diaconi & Prælati, quibus competit per prædicationem, & doctrinam, animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus insistere, ne per hoc à maioribus retrahantur. Vnde S. Gregorius Papa libro 4. registri cap. 88. quod etiam positum est in Decret. dist. 92. Can. in San. Rom. Ecclesia, præsenti Decreto constituto, vt in sede hac sacri altaris Ministri cantare non debeant. Et vt ibidem additur: consuetudo est valdè reprehensibilis, vt in Diaconatus Ordine constituti, modulationi vocis inseruiant, quos ad prædicationis officium, & eleemosynarum studium vacare congruebat. &c.* Hæc S. Thomas. Quod si propter eleemosynas corporales, sacra Psalmodia debet omitti, multò magis propter spirituales, vti sunt, peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, consolari mæstos, Sacramenta administrare, libros pro defensione S. Ecclesiæ, & alios similes, pro dilatanda diuina gloria, conscribere &c. Ideo illæ Religiones, cæteris paribus, præferendæ sunt alijs, quæ habent ex suo instituto maiorem rationem prædicationis, & orationis, quam Psalmodiæ.

Nono. Perfectionem Religionis non metiaris, Illustrissime Domine, ex vitæ austeritate externa, sed potissimùm ex dilectione Dei, quæ se prodit ampla & multiplici propagatione Diuini cultus & gloriæ, & multarum animarum salute, & laboribus difficilibus earum causa, constanter & perseueranter propter Deum susceptis, & inuicta virtute in occasionibus peccatorum declaratur. *Arctitudo obseruantiarum*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 188. a. 6. ad 3. *non est illud, quod præcipuè in Religione commendatur, vt B. Antonius dicit: & ideò non est potior Religio ex hoc, quod habet arctiores obseruantias, sed ex hoc, quod ex maiori discretione sunt eius obseruantiæ ordinatæ ad finem Religionis.* Et, 2. 2. q. 184. a. 3. & libro de perfectione vitæ spiritualis, cap. 2. idem S. Doctor ait. *Primùm & principaliter consistit spiritualis vitæ perfectio, in dilectione Dei, secundariò in proximi dilectione. Caue*, inquit S. Hieronymus epist. 41. ad Celantiam, cap. 6. *ne si ieiunare, aut abstinere cœperis, te putes esse iam Sanctam: hæc enim virtus adiumentum est, non perfectio sanctitatis.* Hinc S. Franciscus, teste S. Bonauentura, eius vitæ cap. 6. *sæpe dicebat Fratribus: de omni eo, quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri: peccator, ait, ieiunare potest, orare, plangere, carnemq́ propriam macerare, hoc solum non potest, Domino, scilicet, suo esse fidelis.* Hinc lib. 8. in vitis Patrum apud Rosvveydum cap. 63. oranti B. Paphnutio Abbati (qui in summa vitæ austeritate, & multo maiore, quàm nunc in vllo Religioso Ordine seruetur, vitam Eremiticam sectabatur separatus à consortio hominum, diuinitus reuelatum est, eum non excessisse perfectionem cuiusdam in ciuitate tibicinis, qui non ita pridem vacabat latrocinijs, ebrietati, & scortationi. Cùm autem accuratè examinaretur, quidnam vnquam ab eo rectè gestum esset, hoc solum inuenit: *quòd cùm aliquando latronis vitam ageret, Christi Virginem, cui erat à latronibus vitium afferendum, liberauerit, & alteri formosæ mulieri erranti in solitudine vim non intulerit, sed trecentis aureis donatam dimiserit, vt maritum cum liberis ob debita in carcerem coniectum liberaret.* Si ergo hominem tam antea malum, opera Charitatis pauca, æquarunt meritis tam sancti eremitæ, in summo rigore ieiuniorum, & paupertatis, alijsque carnis macerationibus vitam traducenti, quanto maiorem meritorum cumulum parient innumera opera Charitatis spiritualis, non vni sed multis animabus exhibita, non à malis, sed à dilectis Dei seruis, vitam religiosam diu colentibus, & in medio nationis prauæ & occasionibus peccatorum, quæ extirpare conantur, constitutis, integram tamen & illibatam vitæ probitatem retinentibus, etsi vitæ externa asperitate cæteris non antecellant. Merito itaque S. Anselmus explicans illud Apostoli 1. Tim. 4. *Exercitatio corporalis ad modicum vtilis, pietas autem ad omnia:* per exercitationem corporalem intelligens cum S. Ambrosio, S. Bernardo, & S. Thoma, corporis afflictionem, & castigationem. *Corporalis*, inquit, *exercitatio, quæ est in ieiunijs, vigilijs, labore*

bore manuum, ac multimoda corporis afflictione, parum vtilitatis habet, respectu magnæ vtilitatis, quam habet pietas religiosæ mentis. Exerce te ad pietatem, id est, ad compassionem proximorum, & ad opera misericordiæ. Nam vt ait S. August. epist. 52. *Pietas est verax veri Dei cultus, vnde omnia rectè viuendi ducuntur officia.* Quem locum Apostoli explanans S. Thomas in comment. *Exercitatio*, inquit, *ieiunij, & huiusmodi, in sua natura, non sunt bona, sed pœnalia. Et, si homo non peccasset, nihil horum fuisset, sed sunt bona medicinalia, in quantum reprimunt concupiscentias: ergo ad istud modicum sunt vtilia: quia tantùm ad morbum peccati carnalis, non spiritualis: quia aliquando propter abstinentiam, homo in iracundiam, inanem gloriam, & huiusmodi incurrit, præfert ergo abstinentiæ pietatem, & accipitur hic vtroq; modo, pro cultu Dei, & misericordia.* Sic etiam Caietanus eundem locum exponit. *Corporalis exercitatio in ieiunijs, abstinentijs, peregrinationibus, cilicijs, & huiusmodi, ad modicum vtilis est; quia tantum valet ad domandum corpus proprium: pietas autem vtilis est, id est, officia pietatis erga Ecclesiæ membra, & cultus erga Patremfamilias domus, quæ est Ecclesia, sunt vtilia ad omnia tam spiritualia, quàm temporalia*, ita Caietanus. Sed præclarè admodum S. Bernardus eundem Apostoli locum, eodem sensu intelligens, Apologia ad Gulielmum Abbatem, eos religiosos perstringit, qui ieiunijs maioribus addicti & abstinentijs, vilique & attrita tunica induti, detrahebant alijs Religiosis,

ligiosis, quod vterentur melioribus vestibus, ac pellibus, & carnibus vescerentur, & tria vel quatuor pulmentaria, vno die admitterent, & hos etsi pro delicatulis habitos, ijs longè anteponit. *Attendite*, inquit, *in Regulam Dei, cui vtiq; non dissonat institutio S. Benedicti. Regnum Dei intra vos est, Luc. 17. hoc est, non exterius in vestimentis, aut alimentis corporis, sed in virtutibus interioris hominis. Vnde Apostolus (Rom. 14.) Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. De corporalibus itaq; obseruantijs fratribus calumniam struitis, & quæ maiora sunt Regulæ, spiritualia instituta relinquitis. Magna abusio. Tunicati & elati abhorremus pelliceas. Tanquam non melior sit, pellibus inuoluta humilitas, quam tunicata superbia. Repleti deinde ventrem faba, mentem superbia, cibis damnamus saginatos: quasi non melius sit, exiguo sagimine ad vsum vesci, quam ventoso legumine vsq; ad ructum exaturari: & præcipuè cum Esau non de carne, sed de lente sit reprehensus, & de ligno Adam, non de carne damnatus, & Ionathas ex gustu mellis, non carnis, morti adiudicatus: è contra verò Helias innoxiè carnem comederit 3. Reg. 17. ℣. 6. Abraham gratissimè carnibus Angelos pauerit Gen. 18. & de ipsis sua fieri sacrificia Deus præceperit.* Et infra. *Quantò Spiritus corpore melior est, tantò spiritualis quàm corporalis exercitatio fructuosior. Tu ergo, cùm de horum obseruatione elatus, alijs eadem non obseruantibus derogas, non te magis transgressorem Regulæ indicas? cuius licet minima quadam teneas, me-*

liora deuitas: de quibus Paulus: Æmulamini, ait, *charismata meliora. Detrahendo quippe fratribus, in quo temetipsum extollis, perdis humilitatem; in quo alios deprimis, charitatem; quæ sunt charismata meliora. Tu si tuum corpus multis ac nimiis laboribus atteris, ac regularibus asperitatibus mortificas membra tua, bene facis: sed quid si ille, quem similiter non laborantem diiudicas, modicum quidem habeat de hac, quæ ad modicum vtilis, corporali videlicet exercitatione; amplius autem quàm tu de illa, quæ ad omnia valet, idest, pietate &c.* Quod vsque adeò verum est, vt idem S. Bernardus serm. 12. in Cant. Prælatos seculares Ecclesiæ vtiles, leuibus aliquibus defectibus obnoxios, anteponat Religiosis solitarijs; etsi à vulgo habitis pro perfectioribus. *Inhumanè,* inquit, *eorum redarguis opera, quorum onera refugis. Dico enim, si is qui de Claustro est, eum qui versatur in populo, interdum minus districtè, minusue circumspectè sese agere deprehenderit, verbi gratià, in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio, nõ ad iudicandũ confestim resiliat, sed meminerit scriptum Eccles. 42. Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Nam tu quidem in tui custodia vigilans, benefacis, sed qui iuuat multos, melius facit & virilius. Quod si implere non sufficit, absq; aliqua iniquitate, id est, absq; quadam inæqualitate vitæ, & conuersationis suæ, memento, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Iacob. 5.*

DECIMO. Sicut vitæ austeritas, etsi bona & vtilis, non est id, ex quo perfectio Religiosæ vitæ agnoscenda est, ita neq; paupertas. Id expressè docet S. Thomas 2. 2. q. 188. a. 7. vbi quærit. *Vtrum habere aliquid in communi, diminuat perfectionem religionis:* & respondet, *perfectionem non consistere essentialiter in paupertate, sed in Christi sequela, secundum illud Hieronymi super Matth. ca. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: Quia nõ sufficit tãtũ relinquere, iungit quod perfectum est, scil. Et secuti sumus te. Vnde in collationib. Patrum, Collat. 1. cap. 7. Abbas Moyses dicit: Nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt.* Et infrà. *Tantò erit vnaquæq; Religio secundum paupertatem perfectior, quantò habet paupertatem magis proportionatam suo fini.* Et in respons. ad 3. *paupertatem,* ait, *esse minimum inter instrumenta perfectionis.* Præterea docet, ideò paupertatem esse in Religionibus seruandam, ne per solicitudinem circa res temporales, quæ diuitias comitari solet in secularibus, Religiosi retrahantur à piis suæ Religionis operibus. Cùm ergo in quibusdam Religionibus ad Ecclesiæ vtilitatem institutis, ipsa solicitudo quærendi necessaria pro templi ornatu & vsu, pro victu & vestitu, pro viaticis, pro supellectili, & alijs domesticis necessitatibus, magis impediat procurationem alienæ salutis, diuinæque gloriæ ꝓpagationẽ, quàm solicitudo vnius Oeconomi, vel Patrisfamilias, aut superioris Religionis, circa conseruationẽ & defensionẽ rerũ immobiliũ vel mobilium Religionis, ideò præcipui Reli-

 gionum

gionum à Sancta Sede Apostolica confirmatarũ, & commendatarum fundatores, Basilius, Augustinus, Benedictus, Bruno, Bernardus, Ignatius, &c. diuinitus illustrati, certos suis religiosis permiserunt reditus, vt ita liberi à quærendis eleemosynis, melius & Deo, & sibi, & proximis vacare possent, liberiusq; errantes corrigere, quod facere non ita auderent, si ab eis quærenda essent subsidia temporalia; timerent enim benefactores offendere corrigendo eorum vitia, quia veritas odium parit. Quam etiam ob causam & S. Teresia fundatrix Discalceatorum, quemadmodum scribit Didacus Iepesius Archiep. Turiasonensis in eius vita, etsi quædam Monasteria sine vllis reditibns Deo reuelante fundauerit, postea tamen experientiâ subsequẽte edocta, distrahi animos procuratione eleemosynarum, quædam alia Monasteria eodem Deo Magistro erexit, dotata reditibus, vt sine solicitudine conquirẽdarum eleemosynarum, & ea, quæ illam comitatur distractione, Moniales Deo rebusque Diuinis magis vacarent. Eandem ob causam, inter quatuor monita, sibi à Deo reuelata, pro conseruatione suorum Monasteriorum, scriptum reliquit in libro fundationum cap. 31. vt quamuis Discalceati haberent plura Monasteria, in quolibet tamen pauci habitarent: (pro multis enim eleemosyna cum magna distractione & solicitudine corrogari solet) & vt parum cum secularibus tractarent: & illud modicum, pro bono animarum secularium: & vt magis docerent operibus quàm verbis, Ideò nonnullis

lis Religionibus, bona immobilia & mobilia necessaria sunt, vt eorum honesto, & moderato vsu, vires corporis foueant, & sine solicitudine conquirendi necessaria pro victu, & vestitu, aliisque rebus, toti sese impendant procurandæ alienæ saluti, Diuinæq; gloriæ amplificandæ. *Et hoc Dominus*, inquit S. Thomas loco citato, *paupertatis institutor docuit suo exemplo. Habebat enim loculos Iudæ commissos, in quibus recondebantur ei oblata, vt habetur Ioan. 12. Et discipuli eius post eius resurrectionem, à quibus omnis Religio sumpsit originem, pretia prædiorum conseruabant, & distribuebant illa, prout cuiq; opus erat.* Quin etiam, si Apostoli vni loco, vti nunc Religiosorum Monasteria, fuissent adstricti, nec in ea suorum paucitate debuissent circuire tot mundi regiones; procul dubio etiam stabiles, & certos reditus acceptassent, vti postea, dilatatâ Ecclesiâ, & pastoribus animarum multiplicatis, ac ad certa loca addictis, acceptarunt Episcopi aliiq; Ecclesiastici. Quod cum hæretico Spiritu improbaret Ioannes Vicleph hæreticus, judicio Ecclesiastico damnatus est. Non obest ergo perfectioni Religiosæ, possessio bonorum temporalium, bene distributorum, sed vel malus & superfluus eorum vsus, vel nimius erga illa affectus, quorum vtrumq; præscindit in Ordinatis Religionibus, & votum paupertatis, & regularis disciplina.

VNDECIMO. Commendat & hoc perfectionem Religiosi Ordinis, si cæteris paribus, ex instituto suo occupet se pro Deo in rebus arduis & diffi-

difficilioribus quàm alii. Hanc ob causam S. Thomas 1. p. q. 95. a. 4. ad 2. ait, *opus difficilius ex parte obiecti, esse magis meritorium. Vnusquisque enim mercedem percipiet secundum suum laborē*: 1. Cor. 3. Maior autem est labor, vbi est res difficilior, quæ pro Deo perficitur: quam etiam ob causam dilectio inimici est magis meritoria, cæteris paribus, quàm amici, vt idem S. Thomas ait 2. 2. q. 27. a. 7. Ideò quoque eleemosyna illa Christo judice Luc. 21. maior erat, Deoque magis accepta, quam paupercula vidua, dans duo æra minuta, exhibuit, quā diuitum copiosior: quia illi difficilius fuit, totum quod habuit, Deo offerre, quàm diuitibus superflua, ex abundanti erogare.

DVODECIMO. Attende etiam ad hoc, Illustrissime Domine, vt eam Religionem tuo nepoti commendes præ cæteris, in qua cum regularum obseruantia, vides maiorem concordiam, & domesticam vnionem, præsertim in magna dissimilitudine graduū, & nationum varietate simul cohabitantium. Hoc enim est certissimum signum familiæ Dei, Christo teste Io. 13. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.* Quæ tantopere est Deo grata, vt S. Macario Abbati, etsi vitam ducenti in eremo solitariam, in perpetuis ieiuniis, & carnis macerationibus, multò maioribus, quàm hoc nostro seculo vigeat in vlla Religione, etiam eremitica, & assiduè rerum diuinarum contemplationi dedito, Deus prætulerit duas feminas coniugatas, rei vxoriæ vacantes, quæ tamen nil præ cæteris habebant

bant, quàm quòd *per annos 15. in domo vna pariter manentes, nec turpe verbum altera dixisset ad alteram, nec litem mouisset, sed in pace vixissent, & à secularibus verbis abstinere ad mortem decreuissent, cum desiderio vitæ Monasticæ, si id per maritos earum aliquando liceret.* Ita lib. 3. in vitis Patrum, num. 97 apud Rosweydū. Et hæc vt opinor, sufficient Illustriss. Domine, ad adferendam tibi certam lucem, pro vtroq; desiderio tuo: vnum restat, vt te excitem ad aperiendam liberaliter manum, & cum bonis ac nepote tuo cor ipsum tuū, Deo, ac Creatori tuo quodammodo effudendum. Beatus es, qui possis momentaneis rebus, æternas, & quidem præstantissimas mereri, & quidem ita, vt ipsas quoq; Purgatorii pænas, tuorum bonorū hilari, & liberali erogatione in sancta opera, ac domicilia Dei famulorum, possis euadere. *Quoniam eleemosyna ab omni peccato liberat, & non patietur animam ire ad tenebras*, Tob 4. v. 11. Ideo multis onerato peccatis Nabuchodonosori Regi suadebat Propheta Daniel, Dan. 4. v. 24. *Peccata tua eleemosynis redime.* Cum autem *vnusquisque nostrum*, vt ait S. Ambrosius in Apolog. 1. Dauid. c. 2. *per singulas horas multa delinquat*, & pœna Purgatorii acerbior sit, ipsis dolorib. quos Christus in sua passione, & morte est passus, vt docet S. Thomas 3. p. q. 46. a 6. ad 3. & omnibus tormentis, quæ passi sunt vnquam latrones, & SS. Martyres, vt docet S. Augustinus cum B. Beda in Psal. 37. et libro de cura pro mortuis ca. 8. immo, cùm grauior sit ille ignis, quam quicquid homo pati potest,

test in hac vita, vt ait S. Anselmus in 1. epist. ad Cor. cap. 3. Si sapis, extingue hunc ignem, iacturâ bonorum tuorum copiosâ. Si enim libenter te priuares bonis omnibus, vt hac ratione manus & tormenta tyranni, & dolores aliquos acutissimos oculorum, capitis, dentium, renum, colicos & calculorum, vno eodemq; tempore te enecantes, posses euadere, multò libentius hæc bonorum iactura subeunda est Dei causa, vt pœnas Purgatorias effugias, morbis ac doloribus omnibus (vti etiam indicant multa historiarum certarum exempla) acerbiores. Tantò autem liberaliorem te esse oportet, in erogandis rebus tuis, & in tuo nepote vitæ Religiosæ consecrando, quantò difficilius eæ pœnæ effugiuntur etiam à Sanctis: quia difficilè admodum maculæ à peccatis relictæ in anima, plenè in hac vita per satisfactoria opera eluuntur. Ideò legimus in Ecclesiasticis historijs, multos multis annis igne purgatorio excruciatos. Quod si tibi vna noctis horula in colicis, vel calculi, vel dentium doloribus, vel ardor febriculæ adeò molestus est; quantoperè erit molestus ille iustissimi Dei iudicij cruciatus? longus præsertim, & multorum annorũ? Ne ergo eum subeas, extingue liberalitate tua hunc ignem. Nam vt dicitur Eccl. 3. v. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Et, *ipsa est, quæ purgat peccata*, Tob. 12. v. 9. ideò meritò Christus Dominus monuit. Luc. 11. v. 41 *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Hæc habui Illustriss. Domine, quę, vt voluntati tuæ morem gererem, tibi

tibi aperienda candidè putaui. Vnum denique addo, id vt nepoti tuo inculces seriò, ne à sancto vitæ arctioris desiderio resiliat, tum alias ob causas, tum ne vitæ æternæ iacturam patiatur. Multos enim diuina Maiestas, eam ob causam à statu seculari ad religiosum vocat, quia præuidet, si in seculo viuerent, in peccato mortali aliquo morituros: quorum è numero cùm se non esse ignoret, si securo tramite vult ad Beatorum sedem post mortem transferri, religiosam vitam eligat, pro qua promissum est à Christo Matth. 19. v, 29. centuplũ in hac vita, & post mortem vita æterna. Tuum erit Illustrissime Domine hæc & alia perpendere, & quod velles à te factum, si iam iam tibi moriendum esset, & coram seuero cælestis judicis tribunali comparendum, hoc quamprimum exequere, & quidem eo modo, quo exequerentur tui similes, si iis liceret ad breue tempus, è cruciatibus purgatorii dimissis, leuamen pænarum illarum, in hac vita prensare, & eorundem bonorum dispendio, sibi consulere. Vale, & me pristino fauore prosequere.

Tui Studiosissimus.

N. N.